



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Fasti Mariani Cum Divorvm Elogiis In Singvlos Anni Dies Distribvtis

**Brunner, Andreas
Pfeffer, Wilhelm**

Antverpiæ, 1637

SS. Firmus & Rusticus MM. 9. Augusti.

urn:nbn:de:hbz:466:1-44055

quid ager, quem colebat, dives dedisset; in fures etiam liberalis. Nam fortè ex his XII. in horreum se penetraverant MYRONIS. Ibi cum saccos frumento, scelere animum onerassent, injecit Deus furacibus manibus arcana vincula, crevitque in tantum facinoris pondus, ut ne humo jam tollere onus possent. Intervenit interea MYRO, & cum illi trepidi alia vincula sperarent, ille missionem dedit, & tergo improborum non, quod meruerant, patibulum, sed saccos, de quibus diximus, benè fartos suâ manu imposuit, emisitque gravi supplicio mactatos. Interea nihil decessit de MYRONIS opibus, quas ille scilicet eo loco, ad quem fures non adrepunt, cælo recondebat. Sub hæc virtus sacerdotio, mox Episcopatu & miraculis est honorata. Nam & per medium fluvium Tritonem viam sibi fecit, & missò post, pro suo in illum imperio, scipione, coire iterum Moyses noster iussit. Sed & Herculem in illo agnovisses, cum ingens monstrum draconem clavâ, hoc est, oratione dejecit. Exinde reliquam vitam transegit tumulis Divorum exornandis, dum centenarius eundem honorem etiam ipse meruit. *Ex Menais.*

Non videbit diem malum, qui dies bonos habere pauperem fecit: videbit diem malum, qui diem iudicii sine advocacione paupertatis intravit: j. ne causâ accusant peccata, quem pauper excusat. Excusari non potest, quem famas pauperis accusavit. S. Pet. Chrysol. serm. 14.

SS. FIRMUS & RUSTICUS MM.

9. Augusti.

Sociarunt & pugnas & triumphos FIRMVS & RUSTICVS, ipsamque adeò, quod vitio aliis datur, patriam Veronam triumpharunt. Verberibus

R 2

bus

bus hæc primò pugnavit, sed illi gloriosum ducebant patriæ plagas ostentare acceptas à patriâ. Jam in carcerem cùm descenderent, Capitolium videbantur petere. In carcere cùm cibum victoribus Tyrannus victus regaret, triumphales epulas Angeli pararunt. Ad has in testarum fragminibus velut in rosis suaviter illi accubabant. Fame sic pulsâ sanguinem sitiebant fundere. Et verò gladio cæsi hunc quoque libarunt. Porrò funus utriusque Cælites curarunt mercatorum os habitumque induti, & nobiles merces (ossa Divorum) non procul Carthagine deposuerunt. Horum pretium indicavit genius malus ex alieno ore locutus, præsentiaque horum mirè discruciat. Itaque in Istriam translata corpora. Sed & Istri tanti hæc æstimarunt, ut expetenti Veronæ (cui imbrem cælum tam diu negaturum se edixerat, dum in urbem Divi exules revocarentur) non aliter vendere voluerint, quàm auro tanto appenso, quantum corpora penderent. Sed faverunt patriæ potius licet ingrata Martyres, cumque ad libellam examinarentur, tam leves se præstiterunt, ut ex corrogato auro triens sufficeret. At verò tunc primum magni ponderis apud patriam fuerunt. Ex Mombrit. & Pet. de Natal.

Homo quid commune cum terris tibi, qui confiteris tibi genus esse de cælis? ergo caelestem viam monstra in habitatione terrenâ; quia si quid in te gesserit terrena cogitatio, cælo maculam, caelesti generi injuriam inulsi. S. Pet. Chryf. serm. 71.

S. LAURENTIUS M. 10. Augusti.

Ducebatur ad mortem Sixtus Pont. Max. & ecce LAURENTIUS expoſtulare cum hoc

capit.